

Disfertatio Theologica,
Siftens
Principia Recentioris Theologiæ,
Critice dijudicata,

Cujus

Partem Primam

Consent. Max. Vener. Facult. Theolog. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,

S. S. Th. Doct. & Profesf. publ. & ordin.

publico examini modeste offert

MARTINUS JOHANNES LINDFORSS,
Nylandus.

In Audit. Theol. die XVII April MDCCCXIX.

h. a. m. f.

ABOÆ, Typis *Frenchellianis.*

Discretionary Expenditures
for
Business Administration
Office Building

For the year ending
March 31, 1954

MR. JACOBUS DOWNS

ATTORNEY GENERAL

1000 ...

ABOVE THE ...



Multa renascentur —

Qui iusto animatus Divina erga oracula reverentiæ sensu, fideli eadem, nec fugitivo perlustraverit oculo, sublimem de Deo atque salute veritatem inde derivaturus, hæcque amabilia, in revelatione fundata, mox contulerit dogmata cum Protestantica nostra, in Symbolis satis aperte obvia, fide; deinceps vero ad novam, quam Theologica omnis eruditio & institutio nostris temporibus induerit, saltem induere amaverit, faciem, animum adverterit attentum; practicam ipsam & theoreticam religionem Christi infinitis quidem gradibus cultissimas incultasque fere innumeras per gentes promotam fuisse promotumque iri deprehendet, sed ad stuporem usque mirabitur, simplicissimam fidem Christianam tot implexam dubitationum nodis scopulisque, tot oscitantæ humanæ expositam fuisse fluctibus, & in tanta sæpius aberrasse devia, ut præter nomen vix habuerit quidquam cum Evangelicæ doctrina commune, quin immo positivæ omni religioni & Christo renuntiaverit recentior quædam secta. Non loquimur hostes nostræ religionis, sive fuerint Athei sive Deistæ, qui apertius religionem omnem aut naturalem aut revelatam negant; neque sectas in Christiana Ecclesia varias, variis sententiarum inclytas commendis sive erroribus, tangimus. Protestanticam nostram, a Luthero & Evangelicis doctoribus trium ferme Seculorum adoptatam

defensamque doctrinam, utpote in Divino verbo evidenter propositam, aut ratiociniis minime dubiis inde elicitam, liberaliori, nec satis moderata, interpretatione novissimis his temporibus vexatam, atque in aliam longe mentem pertractam fuisse, quam quæ in Symbolis, pandectis Sacris, in sensu Christianorum communi & experientia locum diu obtinuerit, satis superque cernunt, quotquot Theologiam cum suis fatiis penitus consideraverint. Etenim ab eo inde tempore, quo SEMLERO aliisque Auctoribus liberalior arridere cœpit Scripturam S. interpretandi ratio, atque in Philosophia nova quædam, Critica sic dicta, methodus ad religionem Philosophicam stabiliendam adoptaretur, multi quidem extra cancellos suos vagari, novas excogitantes abstrusissimarum rerum explicationes, alii novam lucem ad antiquam fidem stabiliendam ingenue captantes, moderatius agere, alii denique ad ipsa hostium castra, levissimo transeuntis cursu, in propria sua velut sævire viscera deprehendebantur. Nihil intactum remansit, quod ingenio, acumine, fingendi libidine, sive in pejus sive melius, excogitari, judicari, dubitari sanctissima in religione possit. Immo, quum extravagantes multi viam vix cernerent elabendi aut redeundi, illuc malorum ventum fuit, ut revelationem omnem & fidem in Christum abnegando, propriam construerent religionis theoriam s. theologiam, quæ rationalismum i. e. rationis solum dictamen, spreta omni supranaturali atque Divina institutione, commendaret. Hinc multi fluctuare, alius aliam ingredi viam conciliandi revelationem & rationem, liberaliter omnia pro lubitu adoptare, explicare, fingere — cœlum ipsum petere. Neque omnino in tanta animorum & ingeniorum discrepantia, tot interpretum diversissimorum vagabunda arte, solidissima extpiravit Theologica eruditio, ut potius caput exferere, nervosque omnes ad refrenandam licentiam Protestanticam intendere laudabili nisu studeret. Novam quippe quum subministrarent
libe

liberalioris exageleos patroni ansam, scripta Vet. & Novi foederis explicandi, novamque hinc formarent theoriam, saltem de novo perpolirent, quæ antiquitus tradita erant; integerrima fide sagacissimi viri Biblicum omnem & Theologicum apparatus perlustrare, hypotheses examinare, difficiles abstrusasque probe secernere, veritatem in obscuro latentem minime repudiare, omniaque ex suis principiis rite eruere & perscrutari non destiterunt (a). Et si vel maxime multa adhuc restare videantur, quæ ad liquidum perducendum potuerint aut possent, didicit tamen orthodoxa & Evangelica Ecclesia Divino in verbo subsistere, atque melius esse tacere, quam male loqui. Inconcussa manebit Divina institutio veritasque, in fundamentalibus suis capitibus lucidissimo fulgens nitore. Si sint quædam, in antiquiori aut recentiori systemate obvia, problemata minus essentialia, saniores dudum Theologi ex omni ævo ingenue fassi sunt, dissentendi perinde atque cogitandi libertatem, tales circa res, nemini adimi posse, nec fidei fundamentum propterea concussum iri. His ergo non obstantibus, accidentalibus problematicisque causis, spem certam fovere possumus, essentialia omnes articulos Protestanticæ nostræ doctrinæ nunquam infringi aut subverti posse, sed novis jamjam confirmatos esse argumentis. Ut quippe temerario pronuntiant ore novarum rerum cupidi, totum symbolicæ & systematicæ Theologiæ corpus permutandum esse, ita etiam ex altera parte iniquius agunt, qui ne latum quidem unguem a præscriptis quibusdam formulis, concordia scilicet, discedere

A 2

per-

a) Quis nomina MOSHEMII, ENESTI, MICHAËLIS, DOEDERLEIN, MORI, SEILER, STORR, NÜSSELT, GRIESBACH, PLANCK, SCHROECH, KEIL, ceterorumque summa cum laude non recognoscit ac suspicit? Eorum quippe industriis factum est, ut veros progressus & incrementa caperet universa Theologica litteratura, salva manente fide Biblica, Symbolis nostris comprehensa.

permittunt, putamen ab ipso nucleo fecernere vix valentes; cujus utriusque incuriæ & negligentiae causam in fervidiori animi motu & affectu deprehendes. Neque omnino nos sumus, qui antiquam & orthodoxam cum recentiori liberali & rationalistica comparantes forma, lites quasunque dirimere valeamus; eodem tamen merito fruimur jure, quo alii in perstringendis ævi nostri erroribus aut controversiis. Vastissimum vero hunc ingredientes campum, quem accurate emetiri vetat temporis & virium ratio, præcipua tantum & maxime fundamentalia delibabimus capita Theologiæ, in quibus scrupulum movere non nemini placuit recentiorum. Nec impetrare a nobis potuimus, ut veritatem sectantes divinam & ex suis principiis eruentes, multorum vana non dilueremus commenta, Evangelicæ nostræ doctrinæ, in Bibliis Sacris patefactæ, inimicissima. Brevitatis & æquitatis studiosissimi tanto magis æquiores quoque spondemus nobis Lectorum censuram, quanto testatius sit, lites quasvis fervore animorum inceptas nutritasque, serius aut nunquam animi sub incitato æstu componi potuisse.

Sessio Prior.

§. I.

Haud fecus ac in extruendo quovis ædificio, cujus fundamenta si scite ponuntur, ædificium ipsum persistit immotum, sin vero male, corruiat ædes; in Theologico quoque systemate multum impenderunt laboris recentiores, ut principia traderent generalia pariter atque specialia, quorum ad amussim omnis exigeretur reformatio, quam extremæ necessitatis esse lato pronuntiarunt ore. Molestam sibi fuisse Symbolicam auctoritatem, dudum conquesti sunt, nec Biblicam ipsam doctrinam commendandam alio de capite judicarunt, quam quatenus principiis

piis quibusdam philosophicis consentanea esset, nihilque fidei & auctoritati, omnia vero rationi committeret discernenda. Hinc Biblica qualiscunque enata Theologia, in qua nihil fere præter naturalem religionem quæsiveris, nihil mysteriorum, nihil supernaturalium donorum, argumentorum, factorum & eventuum, nihil gratiæ Divinæ, nihil crucis & expiationis, verbo: nihil Divinitatis in ipso religionis Statore, ejusque doctrina anxie postularent Christiani Theologi (a). Atque quum pauci quidem præter Deistas, Christum aperte abnegantes, sint, qui totum systema Theologicum perverso hoc modo condere & quasi repurgare voluerint, in diversa adeo abierunt & sibi invicem discrepantia placita, ut adoptatis his, relectis aliis revelationis partibus, quisque ex suo ingenio fingere amaret, ceteros omnes alto spernens supercilio. Cujus lupinæ licentiæ causas tribus ex principiis generalioribus derivandas esse, facile est ad intelligendum; *Rationalismum* loquimur, *scepticismum*, & *novam interpretandi artem* (b). Rationalismus, qui rationis humanæ judicio & finibus quasvis adsignat, humanas pariter atque Divinas, veritates, omnemque revelationem non supranaturalem, sed naturalem, h. e. ex mentis a Deo eidem inditis propriis viribus, sine numinis interveniente propiori adflatu, profectam postulans, reapse non est nisi Deismus & egoismus, practicæ rationi ipsi & historiæ humani generis inimicissimus. Quis mentis perspicaciam in rebus, suos intra cancellos

a) Sant talia præcocia judicis bene multa in Teller *Religion der vollkommener* & Thiertrunk *Religion der mündigen*.

b) *Mysticismum* adderemus, nisi in propatulo esset, eundem e diametro oppositum esse rationalismo & scepticismo, nec unquam violenter adeo & inhumaniter humanum vexasse genus, ut egoismum fanaticum. — Has quippe inter Syrtes vagabunda sæpius fluctuavit ætas, mediam, tutissimam viam vix ubique inveniens.

cellos positis, unquam abjudicabit? Verum enim vero in rebus, omnem transcendentibus sensuum & ingenii aciem, Divinis hisce & æternis cogitandi objectis, quis, nisi Deus ipse, absolutam dare potuit aut dedit ideam? quis per omnia secula, gentes, scientiarum palæstras, acutissimus fuit philosophus, qui simplicem, genuinam, veram perfectamque exhibuerit supremi Numinis ideam? Quomodo ad eam sublimem ascendere potuissent primi homines veritatem, de qua deinceps dubitarunt, ambegerunt, hallucinabantur summi Philosophi, nisi Deus ipse velut ex luminis sui sanctissimo adyto inclaruisset, manifestando se esse, atque ab eo omnia in universo mundo creata, eique obediendum esse e. s. p. Eo nos quidem ducit attenta nostri ipsius atque naturæ consideratio, ut probabilem nobis faciat notionem de existentia, veritate & majestate Dei; apodicticam vero certitudinem & infallibilem fidem suppeditabit Divina peculiaris institutio, adeo ut verum sit, quod Johannes I Ep. V: 6 dicit: *πνευμα εστι το μαρτυρον, οτι το πνευμα εστιν η αληθεια.* — Quemadmodum enim nemo, sine præeunte duce, terras antea sibi incognitas invilere & peragrate potest, ita quoque veritas de Deo, Supremo Ente, imperscrutabilis nobis mansisset, nisi de cælo ipso velut delata esset. Quodnam est illud ingenium humanum, quænam ratio purissima, cujus ab intuitiva cognitione aut inventione sublimis hæc idea Dei hauriri potuerit? Quis porro mentem Divinam, summo in nos amore flagrantem, beneficam, condonantem, manifestaret, nisi ipse ille amoris unicus fons? quis immortalitatem daret certo sperandam, nisi ejusdem stator & princeps. Quomocumque intenderint mortales ingenii sui & oculorum aciem, ad adyta hæcce sanctissima nunquam penetrare valuissent, nec in posterum valebunt, nisi viam monstraverit absolutissimus ipse lucis conditor &, quam ad sublunares has miserit terras. gloriosissimæ tuæ majestatis imago. An Christiani unquam verebuntur, hoc
 pie

pie profiteri; an fluctuabunt, aut in crepusculo suo subsistent, meridianam lucem non sectantes, quæ tamen Divino in testimonio lucidissime fulget? An protervitiæ culpam a se excutere possunt, quotquot de Deo philosophantur sine Deo, de legibus Divinis sine legum auctore, de Christo sine reverentia in Christum, de immortalitate, sine ejusdem heroë ac Domino. Egoismum hunc ratio sobria nunquam vindicabit, sed nec unquam ipsa permittet, ut collisionem fingant homines Divinam inter & humanam rationem,

§. 2.

Scepticismus alter est generalis fons, e quo steriles suos campos irrigare studuerunt multi. Quum enim certo perspicerent, revelationem esse rem in facto positam, quam admittere noluerunt, consequens fuit, ut facta pleraque in dubium vocarent, non quia testes Sacri integerimi non estent, sed quia delusi & humani quid passi viderentur. Repugnantias ergo excogitare & undiquaque conquirere, in re seria ludere, scrupulos movere, Scriptores Sacros cum universo suo ævo contemtim habere, ad ineptas relegare tabulas quæcunque viderint, audierint, senserint homines, quondam sub Mosaico aut Christi ævo, mirabilia; infinitos ad fascinandas rudiorum mentes facere excursus in Mythologiam gentilium, stultaque eorum oracula, prodigia & quæ sunt cetera, Sacra atque profana juxta habere, nullumque nodum Deo vindice dignum relinquere — ista vero omnia grandia dubia concludere isto →: "credant milleni, non ego; talia ratio humana non admittit" Videamus autem quid sani, quid æqui sit in hoc scepticismo. Sobriam dubitationem ambiguis in rebus nemo non commendavit, sed insolentem, in manifestis & per omne ævum celebratis eventibus, quales historia Sacra exhibet, ambigendi pertinaciam nemo cordatus

approbabit. *Primum* enim præcipitanter ex suo gustu, iudicio & experientia, didicant leges cogitandi absolutas, negando fata gentium aut hominum, in gente quadam testatissima. Res enim, in factis positæ, non possunt absolute quodam decreto impugnari, in primis quum probabilitatem secum ferant satis conspicuam. Hæc quippe Divina oracula, hæc vaticinia, hæc mirabilia & extraordinaria facta non edita sunt in occulto quodam angulo mundi, aut in tenebris, nec artibus quibusdam magicis, sed solenniter, simpliciter, nullaque intercedente arte & prælusionem, non subdola sed integra fide, multifariam & quidem ævo satis illustri, ad religionem & pietatem inculcandam accommodato. Atque quis impostor tam admirabilem connexionem rerum, temporum, eventuum, in universa Historia Sacra extantem, ex suo fingeret ingenio fanatico? Hæc ipsa documenta superioris Divini auxilii incipiunt a primis hominibus, quibus nisi Deus se manifestasset, vix expiscari quis poterit, quomodo ad celsam illam Dei ideam ascenderent mortales; Progrediente hac Religionis luce morum sancta retinetur inter homines castitas, decrescente vero pietate imminuitur Dei reverentia; ingravescente per orbem superstitione & idololatria, Deus gentem sibi format ad cultum suum conservandum; promissiones, præcepta, leges feruntur & promulgantur, quales in nulla alia gente; Instruit Mosen Deus, instructumque ornat mirabili virtute & extraordinariis donis, ut ad effectum deducere posset hic gentis suæ restaurator celsissima Dei decreta. Miracula Divina, Mosis ministerio perpetrata, admirantur perturbati ipsi Ægyptii in aula Pharaonis, stupent quotquot subitanea morte abreptos primogenitos cognatosque suos cernunt; decantant & celebrant per omnia secula Israelitæ, adhucve post tot rerum mutationes eadem ex prolapia natus populus, plurima festa Sacra in memoriam tantarum rerum piissima mente celebrare pergit. Quod si res gestæ Mosis in Ægypto, ad

ad mare rubrum, ad montem Sinai, in deserto e. s. p. veritate non fuissent fundatæ, quam absurdam eslet cogitare, universam hanc gentem eas admiratam fuisse & tanquam Divinum suspexisse factum, Mosique obtemperasse. Quis gustu saniori præditus causam explicaret, cur cultissimo sub ævo Judæorum, Davidis & Prophetarum temporibus, grandia hæc continuis hymnis prædicarentur miracula, nisi Mosen vera narrasse & edidisse facinora tenuerit ætas universa? Perlegantur Carmina didactica, Asaph, Ps. LXXVIII. Ethani Ps. LXXXIX Davidis Ps. CV. & CVI. totum, Jelsaiæ Cap. XLIII: 16, 17 XLVIII: 1 — 6. LXIII: 7 — 15. LXIV: 3 — 8. Habac. III: 3 — 16; an ingenuus quisquam erit pronus ad fidem talibus denegandam eventibus. Immo talis scepticismus e diametro repugnat sensui communi istius ævi, omnemque evellit historicam fidem. Si enim hujus gentis historicis Scriptoribus, qui res tractant, quas ipsi audiverunt aut a majoribus suis traditas acceperunt, nihil auctoritatis tribuendum sit, quis ulli se confidat Scriptori historico? Neque hic valet regerere: fata gentis Judaicæ esse extraordinaria, reliquarum vero gentium solita & ordinaria; In simplici namque narratione non opus est nisi integritate sensuum & fidei, quæ utraque Sacris æque adsignanda est atque profanis Auctoribus. Videant ergo quam indigne sentiant, quotquot profanam historiam in omnibus fere laudant, Sacram vero contumeliose habent. Atque quis sine indignatione cogitabit, quanta damna & offencicula Scepticismi hic fervor insanus intulerit in Christianam Ecclesiam eo, quod venerabilia Evangelistarum scripta multis modis ac probris discerperit? Fanatico hoc dubitandi instrumento latissimam aperite levitati portam inconsiderate studerunt recentiorum multi. Hinc Historicos Scriptores nonnullos parum modeste & reverenter de Christianæ religionis initiis, auctore, progressibus loquentes, pretiosissima humani generis monumenta pro fabulis habere, resque gestas

fabulose subvertere, non unam familiam aut gentem, sed rotum ævum Christianum primitivum, ad modum Porphyrii, illudere, atque civitatum Christianarum formas subdola hac arte sensim ad apostasiam allicere, Theologos ipsos haud paucos de veritate & Divinitate religionis dubitare & ad alia præsidia anxie confugere; Hinc gravissimos errores, probrosaque dicta pestis instar in circulo delicatiorum serpere, multa juvenilia contaminare ingenia, latiusque tendere, haud obscure vidit orbis recentior. — Sed *graviore casu decidunt* — Ætas nostra nunquam favebit funesto huic scepticismo, fundamenta fidei Christianæ tollere nitenti. Etenim 1) probandum esset scepticismi patronis, universam multitudinem, Apostolorum, discipulorum Jesu, Judæorum & gentilium conversorum, fuisse mente captam, quum ea se vidisse, audivisse, & quasi manibus palpasse crederet, quæ ficta tamen essent. Demonstrant omnes hos superstitione aut errore quovis occæcatos. Videant tamen, ne indigna hæc calumnia in propria eorum resiliat pectora. Communis hominum sensus satis superque spondebit pro fide Apostolorum genuina. 2) Authentica esse Evangelistarum ceterorumque Apostolorum scripta, omnes concesserunt, annalium Ecclesiasticorum primitivæ Ecclesiæ innixi auctoritate; cur ergo summam fidem historicam eis denegabunt? Quia scilicet ipsi eadem non experiuntur extraordinaria phænomena, quæ Christi tempore celebrabantur —; Sed quam iniquum esset, Apostolici ævi experientiæ & sensui communi reclamare velle, propter defectum virium nostris temporibus? 3) Notetur porro, historiam Sacram semper fuisse connexam cum vera Religione, ejusdemque praxi, omnimoda pietate. Testantur enim annales Ecclesiastici, ab eo inde tempore, quo religio Christi innotuit paganis gentibus, everfam fuisse idololatriam, fœdissimamque superstitionem, barbariem, inhumanitatem, servitutem, nec non innumeras vitiorum conticuisse tur-

bas,

bas, contra vero lætam effloruisse virtutum segetem, pietatem, temperantiam, castitatem, beneficentiam, ceterasque, in quibus quis non suspicit sublimem Christianismi genium. Tantam vero permutationem morum in gente, per orbem universum dominatrice, promoveri potuisse sine Divinis subsidiis, documentis quippe rerum gestarum, vires omnes humanas longe superantium, quis perperam statuet? Quicquid enim ætas ista vidit, audivit, sensit magnificum, mirabile atque stupendum, non potuit non summam addere fidem & auctoritatem Evangelii prædicationi, quam tot sincerissimi tuebantur testes.

§. 3.

Quum vero parum tutum præsidium in rationalismo & scepticismo cernerent novaturientes, *novam* excogitarunt *interpretandi artem*, cujus ope extraordinaria omnia & supranaturalia facta, quæ in utroque fœdere narrata leguntur, possent in ordinarios & naturales commutari eventus. Egregia profecto rima elabendi, ac universum non minus literatum quam illiteratum vulgus penitus confundendi vel fascinandi ars! Principia ejus quidem in plerisque sunt cum vulgari hermenentica communia, sed aberrant in omnibus, quæ *historicum*, *propheticum* & *vere dogmaticum* usum librorum Sacrorum tangunt. *Illum* enim sive *historicum*, ad mythicum dicendi genus, *istum* sive *propheticum*, ad inanes conjecturas ac præsensiones, nihil solidi habentes, *hunc* porro sive *dogmaticum* & *positivum* ad moralem sive naturalem usum restringere satius duxerunt novi Interpretes, adminiculo utentes fere infinito, ex accommodationis theoria desumpto. Quicquid ergo in revelationis fontibus displicuerit, ad mythos & fabulas, ad nugas & excursus vulgares, ad præjudicia gentis, & auctorum ipsorum errores referre, accommodare, refingere, vera falsis, summa imis miscere placuit. Cui inter-

pretandi modo convenienter, haud multum discriminis erit Sacram inter & profanam, positivam & naturalem religionem, revelationem & rationem, Christum & Socratem sive quemcumque alium Philosophum. Ut ergo critica censura hæcce perstringamus principia, quibus permultum omnino & insolentius se tradere adveverunt novi Protestantes, breviter hic & generalius observabimus: Non aliam quidem universe patere viam ad sublimia religionis nostræ explicanda scripta, quam quæ in Profanis scriptoribus familiaris est ac necessaria; stilum proinde historicum a poetico, didacticum ab apologo, ornatum & amplificatum a simplici discernere, quis est qui, saniori utens gustu aut sensu hominum communi, non valeat? Neque non in propatulo est, certitudinem interpretandi omnem ex usu loquendi, ex sententiarum evidentia & nexu nativo, universoque orationis scopo & consilio derivari, grammaticumque sensum quocumque in dictionis genere semper esse adoptandum. Quod ad dicendi genus *historicum* jam attinet, dabimus quidem, hic atque ibi figuratas inseri locutiones, anthropopathias, & allegorias, quibus res in facto positæ commode adumbrantur; mythicas vero sive fabulosas admittere narrationes vetat Sacrorum monumentorum simplicitas summa & dignitas; atque si forte in tanta antiquitate documentorum, alicubi remaneret difficultas, ægre tollenda, haud minori jure ignorantiam suam fateri fas esset, ac in multis aliis cognitionis humanæ generibus. Tantisper vero inhæreamus verborum litterali sensui. Fabulas enim qui fingunt, eventusque extraordinarios ad naturales referunt causas, aut moralem tantum admittunt interpretationem, recedunt sine urgente necessitate a littera, immo injuriam vimque clarissimis inferunt verbis. Quod si vocabula & locutiones, quibus apparitiones & testimonia Dei in Veteri & novo Fœdere toties describuntur, aliud nihil significarent, quam phantasiæ quendam lusum; si propriissimæ narrationes
mi-

miraculorum, Moſis in aula Pharaonis, ad mare rubrum, & in deſerto, Chriſti vero per totam Galilæam atque Judæam patratorum, non ex lingvæ Hebrææ ac Græcæ vulgari dicendi uſu, ſed ex ingenio interpretis vagabundo eſſent explicandæ; quis certam amplius ullam habebit interpretationem, quis modum ac terminos præſcribet licentiæ, uſum omnem communem illudenti? Nec fortius contra perverſam hanc interpretandi artem valet argumentum, quam quod ex inconstantia iſtius & abrupta coherentia totius ſermonis descendit. Moſes diras minitur Ægyptiis plagas; perturbantur Ægyptii, clamant, fugiunt, pereunt; Iſraëlitæ celebrant Divinam potentiam utpote inexpectatam, grandem & mirabilem; Omnis ævi ſcriptores acclamant huic ſtupendæ rei. non floſculis & lenociniis, ſed nuda verborum gravitate. Quæ ergo juſta cauſa eſt dubitandi de Moſaicis miraculis? Multo adhuc plus temeritatis ineſt novitati contorquendi ſenſum Evangelicæ hiſtoriæ circa miracula Jeſu teſtatiſſima (a). Nam ſi nonnulla exceperis vocabula, quæ ſunt ambigui uſus, cetera omnia tantam ſecum ferunt grammaticam evidentiam, ut cœcutire in meridiana luce rite dicatur, qui eadem non intellexerit (b).

Propheticis in ſcriptis eandem increbuiſſe apud Recentiores exægeſeos rationem, antiquis & communiter receptis contrariam principiis, jam demonſtrabimus Quum nempe humanæ menti, qua tali, non competere poſſit facultas futuri temporis prædicendi exitum, ſæpius vero
caus:

a) Specimen nugatoriæ interpretationis adest in H. EB. GOTTL. PAULUS *Philologiſch Kritiſcher u. Hiſtoriſcher Commentar*, üb. Neue Teſt, 1 — 4 Theil.

b) Lectione dignus eſt locus de ſenſu hiſtorico in GOTL. CHRIST. STORR *Opuſc. Academ.* Tom, I,

causæ rerum ita inclarescant, ut ex iisdem inductione ratiociniorum & exspectatione casuum similium quodammodo augurari valeamus quæ in posterum forte eveniant, neque ullus homo sibi præcidi patiatur omnem præsentendi & conjiciendi artem, quamquam sapissime arte sua dilabatur; hinc ergo copiam sibi fecerunt haud pauci (a) statuendi vaticinia s. prædictiones sacras non fuisse nisi præfensiones quasdam obscuras incertasque, ex continua spe aut metu ut plurimum derivatas vel refectas; quare etiam Hebræorum prophetarum vaticinia cum oraculis conferunt gentilium, quasi utraque ejusdem essent indolis atque originis. Verum enimvero Euripidis testimonium de vatibus gentium: *ὅς πολλά ἤδη, πολλά δὲ ψευδῆ λέγει*, debuit saltem cautiore reddere criticos in hac comparatione instituenda. Quis quæso a præjudiciis & partium studio alienus indolem oraculorum gentilium, ænigmati- cam, ambigam, fraudibus munitam, considerans, non sponte agnoscit divinandi artem, oracula, ceteraque apud gentiles fuisse per imitationem quandam antiquioris gentis, ex traditione aliisque politicis de causis formata, quemadmodum rivuli, vel maxime lutulenti, aliquid servant ex primitivo suo fonte liquidi. Quod vero in his rivulis frustra quæritur, sed ex fonte irriguo Divinæ revelationis, satis superque promanasse cernitur, est omnino certa futurorum spes, non tantum generalioribus terminis, sed etiam specialioribus determinata circumstantiis. Quicquid Deus promisit humano generi universe, aut familiæ cuidam separatæ, Abrahamo quippe & ejus posteris, tale erat, ut nemo sine Divina revelatione id præscire potuisset. Senex Abrahamus fidem habuit Deo, promittenti progeniem, immo numerosam stirpem futuram, quin

a) Telam exorsus est Illustris JOH. GOTFR. EICHORN in *Einleit. ins Alte Testam.*, Tom. 3 §. 512 folg.

quin etiam ex hac profapia oriturum filium, per quem omnes gentes felices evaderent. Quæ eadem promissio sæpius repetita, novisque indies definita terminis, novis adumbrata coloribus, tamdiu in gente Judaica animos omnium & expectationem occupabat, exhilaravit, confirmavit, donec expetitus adeslet restaurator mundi, lux gentium, Messias, quem nemo non ex tribu Juda & familia Davidis, Bethlehemem nasciturum, sublimem legem laturum, mirabilia Dei impleturum decreta expectabat pius Dei cultor. Universum hunc prophetiarum scopum, nervum & nexum tuetur grammatica interpretatio, nec antequam evanuerit sanior litteras quascunque, sive Sacras sive profanas explicandi ratio, genuina hæc vaticiniorum exspirabit aut conculcabitur doctrina, cui ceteroquin auctoritas Jesu & Apostolorum, una cum testimoniis antiquioris Ecclesiæ Judaicæ, invictum addunt robur (a). Incredible quippe esset, quomodo Judæi ipsi, suæ lingvæ suorumque librorum optime gnari, hunc sensum ab iis exculperent, nisi genuinus fuisset & grammatice verus. Quot autem inextricabiles nodos sibi fecerint multi hoc in genere, satis indicat justa observatio disensus interpretum mutui. Ubi enim aberraveris a recta via, infinita fere sunt devia, a scopo longius abducentia.

3) *Dogmatica* tandem loca Scripturæ Sacræ, quæ sedem ipsam fidei constituunt, vario modo inquietavit recentior exagesis, generalia quædam excogitans principia & instrumenta, quibus velut gladio aut uno ictu prosternere posset antiquam de fundamentalibus fidei articulis sententiam. *Accommodationis* est theoria, quam ex primitivo suo usu strictiori latissimum in abusum extenderunt, summam
in-

a) Optime & ex instituto tractavit hanc rem SEILER in libro: *die Weisagung und ihre Erfüllung.*

inluper urgentes non modo libertatem, sed etiam rationis absolutam vim & dictamen, distinctionem inter typum doctrinæ & doctrinam ipsam, sensum grammaticum inter & moralem sive authenticum, & quæ sunt reliqua. *Liberalem* commendant interpretationem, ut mens quippe vinculis solvatur parum tolerandis auctoritatis. non modo humanæ (protestanticæ) sed quod magis est, Divinæ. Ruente vero hac, rationalistica invalescat suprema norma necesse est, eamque doctrinam, quæ hinc elicitur, religionem perfectam salutant & maturam, infantili illi, empiricæ & auctoritate innixæ oppositam, saltem multoties ab ea diversam. Quum ergo quærat, utrum dogmata & præcepta Jesu vim habeant superiorem, Dei nomine & auctoritate munitam, præfracte id negant, quia scilicet ratio pura eandem admittere nequeat. Hinc consequens est statuere, typum doctrinæ, qualem Jesus & ejus Apostoli exhibuerunt, sollicitè distinguendum esse ab ipsa doctrina vera, perfecta & authentica, quam intenderint, Christumque in universo suo docendi modo se ita accommodasse ad temporum suorum & auditorum ingenia, mores, errores & præjudicia, ut licet multa docuerit vera, multa ad emendandos homines attemperata, eamque veritatem solenni sua confirmaverit auctoritate, potestate ac morte, mentem tamen suam non in his externis quasi umbraculis & empirismi argumentis, sed interna, morali & perfectiori fidei rationalis commendatione fixam habuerit. Omnia igitur loca, quæ revelationem, mysteria, fidem in Christum, salutis ordinem & adminicula cet. concernunt, grammatico quidem sensu, primis auditoribus, infantulis & rudibus ideam instillasse horum dogmatum, sublimiori autem interpretamento, & quasi ex mente ipsius Christi, ad perfectiorem rationis formam, quæ maturiores deceat Christianos, redigenda & adaptanda esse, idemque valere in institutione Christi discrimen rudium & adultiorum, ac apud Græcos Philosophos, qui in exotericum